



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XI. Florentiæ, domus ab co[m]parente S. Ignatio incendio liberatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

XI.  
*Florentia,  
 domus ab eō  
 parvulo S.  
 Ignatio in  
 cendio libe-  
 ratur.*

Anno huius sæculi primo. Februarij 26. Florentiæ subitus ignis cuiusdam ædes corripuit, nox erat media, ventus prævalidus spargebat incendium in alias ædes, iamque ad Donatum Franciscum Galligatum pertigerat. Ergo is quicquid erat domi pretij alicuius, in tuam eicere; post in edita ædium scandere, volaturus inde cum aqua, & accitis fabris, quo periculum propius vocasset. At ecce tecto septem iam orgyis flamma superior; tectum ipsum viuis instratum carbonibus, & impluente à flatu, & incendio fauilla; quodque his terribilius; incussus impetu in os vapor, non opitulandi modo spem, sed spirandi præcludens. Quare in genua prouolutus, appressisque in crucem pectori brachiis, tutelares suos Ignatium, & Xaverium largo fletu in auxilium aduocat, spondens fore, si domum ab igne defendissent, nunquam se diuinæ maiestatis offensam admissurum. Sub qua mox sublimes in aëre ambos vider, duabus iuter se distantes sexpedis Ignatium vero hæc sibi dicentem: Abi modo, voti compos futurus. Ad hæc flammæ grassantes momento subsidere, recondi ædibus quas corripuerant, tandemque absumi, Donati domo quàm circum obsederant vndique illibata.

XII.  
*Hispani mu-  
 lier ab incu-  
 bo septenni  
 liberata.*

Hispani mulier septimum iam annum consueuerat incubo, hominis speciem induto, cuius denique horrore flagitij tacta, exosæque amores belluinos, adit è nostris Sacerdotem, cuius instructa, & corroborata monitis domum redit, confessionem serio paratura. Redeunti occurrit eremita, qui defixo in eam obtutu, similis miserenti, quærit vnde is animi eius meror, cuius in fronte indicia legeret? mulier arbitrata hunc esse quem vestis simulabat: ecquid tibi, ait, curatio est, tristis siem an lata? Tua, infert dæmon, causa, id quæro, tuo enim bono studeo plus quam putes. Adsum Roma nunc recens, vnde mecum thesauros porto, efficacissimæ veniæ sub horam mortis obtinendæ. Felicem te! potes pergendo, vt hæctenus, tam esse nihilominus secura beatæ mortis, & salutis, quàm ipse sum, qui me tamen hac vita quam vides, & habitu macero. Credis stulta, tuis te rectè factis, non sola Dei misericordia seruandam? plurisque apud illum tuas lacrymas fore quam eius sanguinem? mitte quæso nunc, de sacerdotibus, & confessione esse sollicita, viue sis, vt maximè lubitum, tantum Dei confide bonitati, alia omnia arrogantia deputa. Sensit hic mulier, Deo mentem illius aduertente, nec esse hunc hominem, qui nosset, quæ vni mortalium confessario explicaret; nec bonum genium qui scelerata suaderet. Implorata Dei ope, iubet facessere, aiens palam abundè sibi factum, quemnam heremite larua contegeret, ad quæ ille murato stylo, qui vero ego sim, & scies, & longè aliter quam reris senties. Tuas ego turpitudines vulgabo, & faxo præter infamiam quæ te inde sequetur, vt etiam viuâ comburaris. Quibus dictis repente dilapsus est. Metum inter, & conscientia lanienam confusa, & afflicta mulier, ad confessarium refugit, domum pergere non ausa: intentari illi has minas à dæmone terrendi gratia confessarius docuit, nec esse illas in eius potestate, sed ab eo id agi, vt metu